

SCYTHA TVISCONIS COMES.



**T**Visco inter alios homines uiginti principes & comites itineris ex suis consanguineis & popularibus secum habuit, cum ex Armenia primum in Europam tranzeret, qui una cum ipso duce Germaniam atque regiones finitimas excoluerunt, & mirum in modum illustrarunt: itaque eos ordine paucissimis proponemus. Inter eos uero comites erat Scytha, ipsius Tuisconis frater (qui cognomento Priscus dicitur) facile princeps. Is enim transgresso cum socijs Tanai, omnem terram quae uersus Orientem in Europa erat, sibi addidxit, & legibus ad certum uiuendi modum adduxit, ipsamque Scythiam Europaeam, cum Magogo administrans, de se nominauit. ea enim a Tanai fluuio sese ad Germaniae fines atque ipsam Traciam extendit, fluuio Boristhene celebris regio, unde quicquid usquam de Scythis Europaeis scribitur, id propter hunc Scytham Priscum, Germanorum cum Tuiscone fratre conditorem, de Germanis intelligendum censeo. Ab eo etiam pars quaedam Germaniae in confinio Austriae & Vngariae, Scythiae nomen etiamnum retinet. Cum enim ipse a latere fratris uersus Orientem & Septentrionem regnum constituisse, locus ille uernacula lingua Auf der Scheyten dictus fuit. Hunc uero alij non Tuisconis fratrem, adeoque Gomero prognatum, uerum ipsius Herculis filium constituunt. Beros,